ita alienam esse, ut Christiani neophyti eam legentes non possent a risu temperare. In India Orientali etiam Protestantes plures versiones ediderunt in variis dialectis illarum gentium, quae tamen inaccuratae et absurdae a viris doctis declaratae sunt. De his loquens quidam Missionarius Catholicus in *Annali della Propagazione della Fede* N° LXXII Settembre 1840 ita scribit: « Ipsae errores ita enormes continent, stylo ita barbaro scriptae sunt ut cultiores indigenae, quamvis in iis characteres et vocabula suae linguae recognoscant, nihil tamen intelligunt, nec possint idearum nexum percipere. Hinc oritur funestum praeiudicium, nostros Libros Sacros esse scripta hominis insensati: simul ac idololatrae duas vel tres paginas legerunt, librum lacerant aut reiiciunt cum indignatione et contemptu. » In Oceania Protestantes, opera utentes cuiusdam Nott, versionem ediderunt in lingua insulae Taiti anno 1817: sed paulo post ea versio ita imperfecta apparuit ut ipsi ministri eam supprimere debuerint cum magna discipulorum admiratione, et scandalo. Ipsa inopia et sterilitas linguarum barbararum plerumque impossibilem reddit accuratam Bibliorum versionem; aut enim conceptus biblicus adulterari debent per voces quae iisdem conceptibus non bene respondent, aut nova vocabula et novae phrases cudendae sunt, quas indigenae non intelligunt: in systemate catholico hoc incommodum vitatur per oralem praedicationem, quae longe opportunior est ad infidelium conversionem, quam versionum biblicarum lectio, ut etiam experientia et factum missionum catholicarum abunde docet. Sed de his satis (1).

Scholion. Quoniam saepe mentio facta est de approbatione S. Sedis nonnullis vulgaribus versionibus concessa, operae pretium est animadvertere hanc approbationem apprime distinguendam esse a solemni approbatione quae Vulgatae Latinae a Concilio Tridentino Sess. IV data fuit. Haec enim est approbatio solemnis, positiva et dogmatica, per quam ipsa versio Vulgata authentica et in fide ac moribus infallibilis declarata est; contra approbatio quarumdam versionum vulgarium, ut Polonicae P. Wiekii, Germanicae

(1) Sylv. De Sacy celeberrimus Orientalista severum iudicium protulit de versionibus Orientalibus Societatum Biblicarum in *Journal des Savants*. Juin 1824, pag. 323 seqq. *Considérations sur les nouvelles traductions des Livres Saints.... par la Société Biblique.*

Allioli, et Italicae Martini est approbatio simplex, permissiva, et disciplinaris. Neque haec approbatio S. Sedis omnino requiritur post declarationem Benedicti XIV anno 1757. Sufficit enim ut versio a catholico viro prodierit, debitis notis instructa sit, et ab *Ordinario* fuerit probata. Ita ipsa versio Martini primo prodiit cum approbatione tantum Episcopi Taurinensis, versio Hispanica P. Scio cum approbatione Episcoporum Hispanorum prodiit, et ipsa Anglica versio Duacensis non habet nisi Episcoporum Hiberniae praesertim, et Americae approbationem. Unusquisque tamen videt approbationem Ordinariorum longe inferioris gradus esse approbatione Sanctae Sedis, et fieri posse ut per ipsam Sanctam Sedem retractetur, quemadmodum ex. gr. factum est de versione Quesnelli, quae primum vulgata cum approbatione Card. De Noailles Archiepiscopi Parisiensis deinceps a Clemente XI damnata fuit. Debent etiam Ordinarii sese conformare conditionibus in Regula IV Indicis, et in Declaratione Benedicti XIV praescriptis: ut nempe versio catholicum habeat auctorem, et adiectas notas ex Sanctis Patribus aut ex doctis catholicisque viris desumptas. Existimat autem laudatus Lamy versionem aliquam istis dotibus instructam non posse quidem imprimi sine approbatione Ordinarii, at si nihilominus impressa fuerit fideles posse eam legere, dummodo certo constet eam tum in textu tum in notis catholicam esse.

Denique monendum est versiones vulgares ex Vulgata latina iuxta editionem Clementis VIII confici debere, non autem ex textibus originariis immediate, vel ex aliqua alia versione. Quamvis enim hoc expresse non praecipiatur in regulis Indicis, aut in declaratione Benedicti XIV, colligitur tamen tum ex scopo Concilii Tridentini in declaranda Vulgata latina authentica, tum potissimum ex praxi Sanctae Sedis in versionibus vulgaribus probandis vel improbandis, ut ex superius dictis apparet. Hoc tamen intelligendum est de versionibus totius Scripturae, communi fidelium usui destinatis, non vero de unius vel alterius libri versione ad eruditorum usum confecta, quae posset etiam aliunde derivari et imprimis ex textu originario: ita habemus versionem librorum poeticorum Franc. Xav. Mattei, et nuper versionem centum Psalmorum P. Patrizi S. I. Romae impressam, quae immediate ex textu hebraico derivatae sunt.

FINIS

ADUMBRATIO
ARCHAEOLOGIAE BIBLICAE

ADUMBRATIO
ARCHAEOLOGIAE BIBLICAE (1)

PROLEGOMENA

Archaeologiae Biblicae obiectum, historia, fontes, partitio.

I. *Archaeologia*, si vis vocis spectetur, est *tractatus de rebus antiquis*, quo sensu accepta etiam antiquam historiam seu narrationem rerum gestarum comprehendit, quo latiore sensu aliquando haec vox usurpata est, ut ex. gr. in celebri opere Iosephi Flavii. Nunc tamen strictiori significatione Archaeologia accipitur pro sola *Tractatione de moribus, institutis, cultura veterum populorum, deque eorum monumentis quae adhuc supersunt*, omissa gestorum accurata narratione. Si vero tractatio complectatur tantum ea quae respiciunt gentem Iudaeorum, et alia quae in S. Scriptura commemorantur erit *Archaeologia Biblica* (2).

(1) Potuisset haec postrema tractatio appellari *Introductio Archaeologica in S. Scripturam*, ut ita reliquarum duarum partium titulis appellatio responderet. Verum maluimus modestiori titulo uti eo quod propositum nobis sit tantum summa quaedam lineamenta tyronibus exhibere huius amplissimae disciplinae, cui pro merito exponendae vix duo maiora volumina sufficerent. Ita tamen brevitati studebimus, ut non omittamus breviter adnotare ea quae recentissime a viris doctis explorata et inventa sunt, simul indicantes praecipuos auctores et libros unde uberiorem harum rerum notitiam studiosi, si velint, haurire possint.

(2) Solent alii appellare hanc disciplinam *Archaeologiam Sacram*, alii vero *Archaeologiam hebraicam*, seu *de Antiquitatibus Iudaicis*. Quamvis omnes hae appellationes satis aptae sint, et si usus ita ferret absque incommodo retineri possent, tamen re subtilius inspecta, prima appellatio nimis late patet, cum etiam Archaeologia Christiana ex. gr. sub eo nomine comprehendi posset, altera vero appellatio ex adverso inadaequata est; quamvis enim principaliter de rebus Iudaeorum agendum sit, sunt tamen etiam alia satis multa de aliis gentibus, quae ad Scripturam intelligendam cognoscenda sunt, et in tractatione *Archaeologiae Biblicae* locum habere debent.

Quanta sit huius tractationis utilitas ad Scripturae Sacrae intelligentiam vel ex iis colligi potest quae superius diximus (Introd. Exeget. Part. II, Sect. I, Cap. III) de criteriis externis, seu historicis, eorumque necessitate in Scripturae interpretatione. Sacri enim Auctores necessario sese accommodare debuerunt externis adiunctis, in quibus ipsi eorumque lectores versabantur; mores, instituta, monumenta, politicum et sacrum reipublicae statum aliaque similia ubique supponunt quemadmodum erant eorum aetate, sibique et lectoribus familiaria, ad haec passim alludunt, ex his imagines et figuras modosque loquendi frequenter desumunt, nec unquam de iis explicandis solliciti sunt, quod prorsus abs re fuisset. Nobis igitur, qui ab iisdem auctoribus aetate tam remoti sumus, et in regionibus atque adiunctis tam diversis versamur, moribusque tam diversis utimur illa omnia sedulo addiscenda sunt si volumus mentem Hagiographorum in omnibus locis recte intelligere, Scripturarum sublimitatem, pulchritudinem, et efficaciam ubique percipere, et adversariorum cavillationes, aliasque occurrentes difficultates solide, et cum causae cognitione dissolvere (1). Hinc est quod veteres Patres haec discere, et aliis tradere non omittebant. Horum scientiam commendat Augustinus in Libris de Doctrina Christiana, et Hieronymus ad eam sibi plenius comparandam diu in Syria et Palaestina commoratus est, cum Iudaeorum magistris ibidem familiaritatem iniit nullis expensis aut laboribus parcens.

II. Huiusmodi tamen disciplina non solebat ab antiquis seorsim tractari. Veteres Theologi et imprimis Commentatores S. Scripturae pro data occasione notitias Archaeologicas sparsim tradebant, aut quaedam de iis breviter innuebant in Prolegomenis, vel apparatu biblico, quem solebant commentariis praefigere. Interim tamen non deerant docti viri qui unam vel alteram partem, seu quaestionem antiquitatum biblicarum editis dissertationibus, vel amplioribus operibus profundius pertractarent; horum praecipuos laudavimus supra in Part. II. Hermeneuticae (V. pag. 235), alios inferius pro data occasione citabimus. Huiusmodi tractatus *particulares* copiosam eruditionis Archaeologicae supellectilem praebent unde recen-

(1) Emolumenta Archaeologiae Biblicae singillatim enumerat, et declarat Ackermann *Archaeol. bibl. Praelimin.* §. 2.

tiores omnes profecerunt. Immensam harum collectionem continet Blasii Ugolini: *Thesaurus antiquitatum sacrarum* Venetiis 1744–69 XXXIV Vol. *in folio*. Haec tamen opera ob ipsam rerum copiam, auctorum, et librorum varietatem, et unitatis defectum, studium Archaeologiae biblicae nimis amplum, et laboriosum efficiebant, quare necessitas apparuit ea quae sparsim et prolixius in variis operibus legebantur in unum colligere, in compendium contrahere et apto ordine disponere, atque ita ortae sunt tractationes *generales* de Antiquitatibus biblicis quae tamquam pars Introductionis in S. Scripturam haberi coeperunt, et *Archaeologiam Biblicam* proprie dictam constituunt. Primus qui hoc genus operis in lucem edidit videtur fuisse Ben. Arias Montanus, ob versionem literalem hebraici Textus aliasque biblicas lucubrationes notissimus, qui vulgavit opus sub titulo: *Antiquitatum Iudaicarum libri IX..... adiectis formis aeneis.* Lugduni Batav. 1593 in 4°. Complectitur ordinatum et fere completum Archaeologiae biblicae compendium. Hunc excepit Io. Steph. Menochius in Opere: *De Republica Hebraeorum libri VIII.* Parisiis 1648. Cum autem recentius multa de antiquitatibus Orientalibus explorata fuerint, frequentiora itinera per Orientem instituta, et monumenta multa lucem aspexerint quae diu latuerant, hinc opportunum visum est alia atque alia Archaeologiae biblicae compendia vulgare, quae antiquiorum tractationes in multis emendarent, complerent, ac illustrarent. Ex his celebriora sunt E. Fr. C. Rosenmülleri *Handbuch der biblischen Alterthumskunde* (Manuale Archaeologiae biblicae) Lipsiae 1825. I. H. Pareau: *Antiquitas Hebraica*, et Io. Iahnii *Archaeologia biblica*, quae primum germanice edita est fusiori stylo, deinde ab auctore in Compendium redacta, et latine vulgata sub titulo: *Archaeologia biblica in epitomen redacta.* Vindobonae 1814: hanc iterum vulgavit, nonnullis correctis et immutatis, Four. Ackermann sub titulo: *Archaeologia biblica breviter exposita.* Viennae 1826. Hoc opus magno plausu exceptum est ut Scripturae studiosis utilissimum, eiusque ordinem fere sequuti sunt, qui deinceps similia compendia exararunt, ut Glaire, Lamy aliique tractatores Introductionis in S. Scripturam.

Interim vero opera virorum doctorum scientia antiquitatum biblicarum aucta est et quotidie augetur novis explorationibus no-

visque inventis, imprimis in eo quod spectat Palaestinae *geographiam* ac *topographiam*, et *monumenta* sive Hebraica, sive aliarum gentium quae S. Scripturae vel illustrandae vel vindicandae apprime inserviunt. Haec autem Sacrae Scripturae studiosum ignorare non licet, et quaedam de his etiam in elementari Archaeologiae biblicae tractatione tradenda sunt.

III. Ut Archaeologiae biblicae tractatio vere solida sit, et ea certitudine polleat quam biblicae scientiae gravitas exposcit, opus est ut ea ex *certis fontibus* derivetur. Quinam sint autem hi fontes breviter tradidimus in Hermeneutica loc. sup. cit. ubi eos revocavimus ad tres classes nempe 1° *Iudaicos*, 2° *Paganos*, 3° *Christianos*. Ne dicta repetamus, hic tantum mentionem faciemus de nonnullis quae ibi vel praetermisimus, vel leviter tantum innuimus. Huiusmodi sunt 1° viatorum *itineraria* et *narrationes* quatenus ex his notitia morum Orientalium, aut regionum biblicarum hauriri potest, et 2° praecipue *monumenta* in Palaestina, in Aegypto, et in Assyria recenter detecta.

1° Quod pertinet ad viatorum *itineraria* et *narrationes*, hae quidem magnae utilitatis esse possunt, nec omnino praeteriri debent. Verum magna etiam prudentia in iis adhibendis necessaria est, nec temere iis fidendum: saepissime enim fit ut viatores vel ob ignorantiam linguae, vel ob nimiam festinationem, vel alia de causa hallucinentur, aut ab indigenis viarum ducibus decipiantur. Ut igitur harum rerum studiosus caute procedat oportet imprimis ut eos iteneratorum libros seligat qui ob scientiam, soliditatem et veracitatem suffragium peritorum maxime meruerunt. Huiusmodi sunt ex. gr. opera Shaw, Chardin, d'Arvieux, Niebuhr, Olearius, et adhuc recentiora Mislin: *Les saints lieux* 3 edit. 1858, *Guérin: Description de la Palestine* 3 Vol. 1875, et scripta Porter, Robinson, Thompson, Van de Velde aliaque quae inferius laudabimus. Praeterea vix unquam in unius tantum testimonio sistendum est, sed plures simul conferendi sunt: ita enim, ut sapienter monet Glaire *(Préface à l'Archéologie Biblique, Introduction to. 2)*, et facta certiora evadent, et ex plurium observationibus in diversis locis ac temporibus institutis ostendi poterit illud quod referunt ordinarium et constans factum esse non meram exceptionem, aut fortuitum casum, demum leviores differentiae quae in pluribus de eadem re descriptionibus obser-

vantur mirifice inservient ad rei naturam (puta aliquam Orientalium consuetudinem, vel alicuius loci aspectum, pulchritudinem, conditionem) recte et accurate aestimandam.

Postremo in praefatis itinerariis perlegendis « distinguenda sunt illa, quae hi auctores ipsi viderunt, et observarunt, ab iis quae dumtaxat coniiciunt, et quibus sententiam suam interponunt: in illis enim sunt testes, in his vero iudicis sibi arrogant officium quod unicuique nostrum competit » (Iahn Arch. Bibl. Praelim. §. 3).

2° De *monumentis* paulo plura dicenda sunt. Hoc nomine intelligimus tum inscriptiones in Palaestina et in vicinis regionibus repertas, tum varia opera humanae artis, ut sepulchra, aedificia, sculptas vel pictas figuras, instrumenta, nummos aliaque similia, quibus vel eventus commemorantur, vel populorum cultura, mores, ingenium repraesentantur. Quanti momenti sit testimonium quod monumenta coaeva suppeditant nemo est qui non videat. Haec enim res ipsas sub oculos ponunt, quas posteriores scriptores verbis describere conati sunt, et cum eo tempore exstructa fuerint quo res ipsae evenerunt tamquam immediati, solemnes ac publici earumdem testes haberi debent. Porro divina Providentia disponente factum est, ut hac nostra aetate cum Rationalistae Scripturarum Sacrarum historicam veracitatem impugnarent, et undique arma conquirerent ad Revelationis fontes evertendos, novi et inexpectati testes veluti e sepulchris excitarentur, qui irrefragabili suo testimonio omnes adversariorum cavillationes, dubia, hypotheses, temerarias assertiones uno veluti ictu convellerent. Nihil dicemus de monumentis Phoeniciis et Palmyrenis, quae licet aliquando utilia esse possint ad S. Scripturam illustrandam plerumque tamen ad philologiam potius, quam ad Archaeologiam biblicam referenda sunt; hic sermo erit dumtaxat de monumentis in Palaestina, in Aegypto, et in Assyria ac Babilonia repertis, quorum inventio et interpretatio inter praecipua saeculi nostri decora, ac triumphos a posteris habebitur.

A. *De monumentis, et antiquitatibus Palaestinensibus.*

Quamvis non ita multa nec tanti momenti in Palaestina recenter inventa fuerint, si comparentur cum monumentis in Aegypto et Mesopotamia repertis, per se tamen gravia sunt et Archaeolo-

giae biblicae maxime utilia. Respiciunt haec imprimis accuratiorem descriptionem regionis cis et trans-Iordanicae, et urbium pagorumque qui in bibliis commemorantur, imprimis vero urbis Ierosolymae cum viciniis, item specialia quaedam facta in sacra historia celeberrima quo pertinent ex. gr. sepulchrum, seu spelunca duplex (מְעָרַת מַכְפֵּלָה) Abrahami, sepulchrum Iosue et alia quaedam monumenta, denique mores et consuetudines in iis regionibus adhuc vigentes. Haec omnia docte et accurate descripta reperiuntur in pluribus recentibus libris, quorum praecipui, et merito celebrati sunt sequentes: Vict. Guérin: *Description de la Palestine* 3 Vol. 1875, cui praeiverat eiusdem auctoris a Gallico Gubernio in Palaestinam ad eum finem missi: *Rapport officiel de sa mission scientifique en Palestine* Paris 1863. Succedit magni pretii opus Robinson: *Later biblical researches;* Ritter: *Palaestina und Syrien;* item egregium opus Dr. Thompson: *The Land, and the Book;* edit. London and New-York 1870; Er. Pierotti: *Ierusalem explored, a description of the ancient and modern city.* Cambridge 1863, et qui omnia fere in unum colligit, apteque distribuit W. Porter in suo: *Handbook for travellers in Syria, and Palestine,* Lond. 1875. Occasio alios auctores citandi non deerit in decursu huius tractationis.

B. *Monumenta in Aegypto explorata ac reperta.*

Cum Aegyptus incunabula praebuerit populo Hebraeorum, et multiplicem cum eo relationem deinceps semper habuerit, evidens est eius historiam, ac monumenta ad S. Scripturae intelligentiam non parum conducere: in Pentateuco praesertim, in Isaia, in Ieremia, et in libris Regum ac Paralipomenon satis multa occurrunt, quae ex accuratiori notitia de rebus veteris Aegypti illustranda et explicanda sunt. Porro usque ad nostram fere aetatem pauca innotuerant de veteri Aegypto sub Pharaonibus, scilicet nonnulla satis confusa, et fabulis admixta in fragmentis Manethonis et aliorum antiquissimorum scriptorum, et quaedam monumenta magnifica illa quidem (ut pyramides, et obelisci) sed exiguae pro historia et Archaeologia utilitatis ob arcanam illam scripturam, quam *hieroglyphicam* vocant, quae inscriptiones commemorativas iis insculptas intelligere non permittebat: quod a fortiori verum erat de papyris in sepulchris et alibi repertis. Aetati nostrae reservatum erat tum copiam monumentorum paene incredibilem in lucem

proferre, tum clavim scripturae hieroglyphicae invenire, et quasi linguam illorum monumentorum solvere, quae muta, ac sensu vacua, non obstantibus eruditorum hominum conatibus, huc usque permanserant. Dicamus pauca primum de monumentis ipsis in Aegypto repertis, deinde de ratione qua docti viri tandem pervenerunt ad scripturam hieroglyphicam legendam.

Expeditio militaris Nepoleonis in Aegyptum (a. 1798–1800) primam occasionem ampliori investigationi monumentorum illius regionis praebuit. Plures enim docti viri ad hunc finem comitati sunt exercitum Gallicum, et vallem Aegypti quaquaversus percurrentes prout opportunitas sese offerebat vetustissimarum urbium rudera, templorum ruinas, regum sepulchra aliaque satis multa pervestigarunt, descriptis monumentorum et etiam inscriptionum ignotarum imaginibus. Horum omnium accurata expositio paulo post in lucem prodiit curis et impensis Gallici gubernii sub titulo: *Description de l'Egypte.* Paris 1809 seqq. IX Vol. *in folio.* Harum investigationum successu excitati viri docti et rerum antiquarum studiosi, praesertim postquam Champollion a. 1822 clavim scripturae hieroglyphicae invenit, frequentius itinera per Aegyptum susceperunt, novaque in dies monumenta detexerunt, quorum plurima etiam in Europam asportata sunt. Haec monumenta alia sunt enormis molis, et multo grandiora monumentis Graecorum et Romanorum, ut pyramides, sphynges, aliaque inventa inter ruinas veterum urbium, ac templorum, alia sunt minora et etiam privata, quae praesertim in sarcophagis vetustissimis reperta sunt et adhuc reperiuntur, ut ex. gr. picturae et sculpturae quibus varii eventus, ritus, et consuetudines Aegyptiorum repraesentantur, varia instrumenta diversarum artium, amuleta, ornamenta, annuli, scarabaei aliaque id genus plurima, imprimis vero ingens copia manuscriptorum in papyris, quae licet longo saeculorum spatio antecedant omnes membranaceos codices qui antiquissimi reputantur (1), plerumque tamen integrae sunt, et optime conservatae ut scriptura distincte et clare appareat. Multae ex his papyris in Europam

(1) Inter papyros Aegyptiacas extant plurimae quae V, VI, vel VII saeculis antecedunt aeram Christianam, nonnullae etiam X, aut XII saeculis antiquiores sunt, demum aliquae aetate Abrahami, aut etiam antiquius scriptae existimantur.

asportatae praecipua Musaea exornant imprimis Britannicum, Berolinense, Parisiense, Vaticanum, Taurinense. Complectuntur historiam regum, theologicam et moralem scientiam Aegyptiorum, tractatus scientificos, poemata, quaedam etiam de ritibus sacris, inter quae eminet integra collectio rituum funebrium, quae sub nomine *Libri mortuorum* ab eruditis citari solet (1). Haec omnia copiosam supellectilem praebent studiosis, ut veteris Aegypti statum qualis erat tempore Abrahami, Moysis et Prophetarum sibi repraesentare, et antiquam gentis illius historiam ex authenticis monumentis excitare ac veluti reconstruere valeant. Ad quod opus multi eruditi ex variis Europae gentibus viri summa cum laude adlaborarunt, quorum studiis Aegyptologia, uti vocant, mire progressa est, novaque in dies incrementa suscepit (2). Hic tamen progressus impossibilis fuisset, nisi datum esset scripturam Aegyptiacam intelligere. Quare nunc pauca dicenda sunt de ratione qua perventum est ad eam legendam.

Huius inventi gloria debetur, ut omnes norunt, I. Fr. Champollion, qui Figeac in Gallia natus a 1790 iuvenis obiit Parisiis a. 1832. Is igitur novis Aegypti explorationibus excitatus, se totum huic

(1) Amplissima horum notitia hauriri potest ex pluribus insignibus operibus, quorum praecipua haec sunt: Opus sup. cit. *Description de l'Égypte*. Par. 1809, Lepsius: *Denkmäler aus Egypten, und Nubien (Monumenta Aegypti, et Nubiae)* opus magni momenti, et egregiis tabulis instructum; Rosellini: *Monumenti dell'Egitto, e della Nubia*. Pisa 1822–44; Prisse d'Avennes: *Monuments Égyptiens*. Paris 1847; De Rougé: *Notice des monuments Égyptiens*. Paris 1855 brevius sed accuratum; Mariette: *Catalogue du Musée du Boulaq*. Alexandrie 1868 ed. 2.; Devéria: *Manuscrits Égyptiens du Louvres*. Paris 1675, Brugsch: *Historia Aepypti*. Chabas: *Études sur l'antiquité historique d'après les sources Égyptiennes* etc. Paris 1875.

(2) Mortuo Champellion a. 1832 eius opus continuarunt in Gallia Le Normant, Nestor l'Hote, et Em. De Rougé successor Champollionis in schola Aegyptiaca Parisiis fundata, in Italia Salvolini, Rosellini, Ungarelli, in Batavia Leemans, in Britannia Osburn, Birch, Hinks, in Germania Lepsius. Hos excipiunt recentissimi et hodierni Aegyptologi Maspero (tertius a Champollione scholae Parisiensis professor), De Saulcy, Mariette, Chabas (Aegyptius), Devéria, de Horrack, Lefébure, Pierret, I. de Rougé, Grébaut, Brugsch, Dümichen, Lauth, Eisenlohr, Ebers, Itern, Pleyte, Lieblein, Goodwin, Lepage-Renouf, aliique.

Archaeologiae parti devovit, cum animo tandem perveniendi ad secretum hieroglyphicae scripturae reperiendum, sine quo videbat Aegyptiaca studia progredi non posse. Linguae Copticae, quam sciebat esse ipsam vetustam linguam Aegyptiacam quae monumentis inscripta erat, non mediocrem sibi comparavit scientiam, qua instructus coepit hieroglyphicas inscriptiones tunc notas diligenter inspicere, et comparare. Post inutilia quaedam tentamina studium suum convertit ad stelam quamdam bilinguem quae dici solet *lapis Rosettae* eo quod prope Rosettam in Aegypto inventa fuit a. 1799 a viro militari Bouchard dum Arci S. Iuliani muniendae operam daret. Haec stela, quae tantam celebritatem in archaeologia adepta est, eo quod clavim scripturae hieroglyphicae suppeditaverit, est ex marmore nigro, altitudinis pedum 10, latitudinis 3 $^1/_2$; in uno latere gerit inscriptionem in tribus columnis triplici diversa scriptura, scilicet hieroglyphica, demotica, et graeca. Columna graeca, quae 54 lineis constat, continet decretum sacerdotum Aegypti quo decernuntur statuae et honores divini Ptolemaeo Epiphani regi. Paulo post aliud parvum monumentum ex insula Philae allatum est, in quo legebatur pariter inscriptio Aegyptiace et Graece exarata in honorem Cleopatrae. In inscriptione Rosettae quinquies occurrebat nomen Πτολεμαιος, in inscriptione Philae nomen Κλεοπατρα. Cum graeca columna evidenter aliud non esset quam versio inscriptionis Aegyptiacae, proindeque eadem nomina continere deberet, Champollion statim intellexit ab his incipiendum esse, quia nomina propria plus minus eodem modo sonant in qualibet lingua. Iam notum erat eruditis nomina regum in monumentis hieroglyphicis esse inclusa intra rectangulum, quo facilius a reliqua scriptura distinguantur. Hinc facile illi fuit in columna hieroglyphica stelae Rosettae discernere nomen Ptolemaei octo signis hieroglyphicis efformatum et quinquies repetitum ut in versione Graeca, item in alio monumento notavit nomen Cleopatrae undecim signis constans. Numerus iste signorum statim illi ostendit signa illa animalium, plantarum etc. alphabetica esse, seu singulas tantum literas designare quibus nomen Aegyptiacum obiecti repraesentati incipiebat, non vero totam ideam, ut quidam olim putaverant. Notavit insuper in nominibus Graecis Ptolemaci et Cleopatrae plures literas communes esse, ut π, τ, ο, ε, λ, quibus proinde iuxta hypothesim, eadem signa hieroglyphica utro-

bique respondere debebant. Quibus animadversis, coepit comparare signa. Primum signum nominis *Ptolemaeus* (parvum rectangulum) si est litera *p* debebat reperiri etiam in nomine *Cleopatra* quinto loco, et ibi reapse invenitur: tertium signum (nodus in fune) si stat pro litera *o* recurrere debebat in Cleopatra quarto loco, et ibi revera observatur. Alterum signum in Cleopatra (figura leonis cubantis) si est litera *l* quartum locum occupare debebat in Ptolemaeo, et ita est. Sextum signum Cleopatrae (aquila) non recurrit in Ptolemaeo, sed cum idem repetatur decimo loco in priori nomine, nullum dubium relinquebatur illud stare pro litera *a* (1). Ita paulatim progrediens a noto ad ignotum, consultis aliis inscriptionibus, ubi nomina propria occurrebant pervenit ad determinandum valorem signorum hieroglyphicorum, et ad systema scripturae Aegyptiacae exponendum (2), quod postea ab eius successoribus aliisque doctis viris superius laudatis, multis monumentis inter se collatis, magis magisque perfectum est. Itaque ex collatis horum studiis inventum est veterem scripturam hieroglyphicam duo genera signorum complecti, quorum alia sonos literarum sive vocalium sive consonantium exprimunt, ideoque *phonetica* appellata fuerunt, alia vero non sunt legenda sed tantum apposita sunt ad determinandam significationem vocis ambiguae, ideoque *determinativa* vocantur. Idque Champollion iam ab initio coniecerat ex citata inscriptione Philae, ubi post ultimum *a* nominis Cleopatra cernuntur duo alia signa, quae in Graeco nomine praetermissa fuerant; erant igitur signa tantum determinativa nominis foeminini: clarius id apparuit deinceps ex aliis inscriptionibus (3).

(1) Nomina Aegyptiaca, quibus designantur *Leo*, et *Aquila* incipiunt et ipsa a literis *l*, et *a*, ut in nostris linguis.

(2) Hoc primum exposuit in epistola ad Dacerium data: *Lettre à M. Dacier* 22 Sept. 1822 et deinde plenius in: *Précis du système hiéroglyphique*. Paris 1824.

(3) Signa determinativa plerumque imaginem referunt ipsius obiecti, ad quod vox ambigua vel nimis generica determinanda est, vel aliquid unde possit determinatio illa intelligi, atque ideo licet non pronuncientur valde tamen adiuvant lectorem in sensu sermonis percipiendo. Ita ex. gr. duo signa, anser, et crus humanum, leguntur semper *seb*, sed varia est significatio vocis pro variis signis determinativis, quae sequuntur. Si sequitur figura idoli cuiusdam significat *seb numen* (ut in inscriptione Micerini), si sequantur duo crura quasi ambulantis significat *transire*, si sequitur parva stella significat *stellam* et ita porro.

Rursus plura signa phonetica aliquando unum eumdemque sonum referunt, ideoque *omophona* dicta sunt, multa etiam non unam tantum literam, sed integram syllabam notant, atque ideo *syllabica* vocantur, nec desunt signa *ideographica*, quae scilicet totum obiectum, potiusquam sonos quibus exprimitur, directe repraesentant. Inde apparet scripturam hieroglyphicam valde complexam esse, et signis diversis redundantem, quae ad 3,000 numerantur a Brugsch (1). Hac de causa, atque etiam ex eo quod scriptura haec nimis spatii requireret, nec omnibus facile esset varia illa obiecta realia aut symbolica delineare ac pingere, serius coepit ad simpliciorem formam redigi, in qua non integrae figurae, sed summae tantum lineae obiectorum apparebant, quae forma dicta fuit a Champollion *scriptura hieratica*, demum ad usus civiles et literarios adhuc simplicior et magis cursiva forma characterum inducta est inde a regno Shabak et Tahraqua (iuxta opinionem Maspero) quae ob communem et vulgarem usum *demotica* dicitur. Huius postremae scripturae specimen exhibet inscriptio Rosettae in altera columna, in papyris vero passim occurrit.

C. *Monumenta Assyriaca, et Babilonica.*

Historia Imperii Assyro-Chaldaici multo magis cum Hebraeorum gente connexa est quam historia Aegyptiorum. Libri Regum et Paralipomenon, Prophetae maiores et minores ubique de Assyriis et Chaldaeis loquuntur; Ionas Ninivitis praedicavit, Tobiae historia in Assyria accidit, Ezechiel, Baruch, Daniel in Babilonia vixerunt et vaticinia ediderunt, ibique tota gens Iudaeorum diu mansit, et inde cum Zorobabele, Esdra, et Nehemia in Palaestinam reversa est; Libri Esther et Iudith de Assyriis et Babiloniis pertractant; quinimo Moyses ipse Assyriorum initia, et veluti incunabula eorum imperii commemorat, et Abrahamum Patriarcham ostendit ex Chaldaea egressum in terram Chanaan advenientem, quae eius posterorum, Hebraeorum gentis, sedes futura erat. Ex his apparet quantum utilitatis ad accuratam S. Scripturae intelligentiam afferre de-

(1) Cfr. Brugsch. *Grammaire hiéroglyphique*. Leipsig 1872, page 1.

beat plenior de rebus Assyriorum et Chaldaeorum notitia. Haec porro accuratior notitia usque ad nostram aetatem plane deerat. Quamvis enim de illis populis satis multa legantur apud profanos scriptores praesertim Graecos, haec tamen testimonia nimis recentia sunt pro summa gentis illius vetustate, eaque plerumque vaga et indeterminata, passim absurda et inter se pugnantia, saepe etiam fabulis admixta. Ceterum de moribus, institutis, artibus, religione, literatura, monumentis nihil aut fere nihil innotuerat. Babilonis ruinae, licet a nonnullis doctis viris saeculis XVI et XVII inspectae, fere in oblivionem deciderant, celeberrimae vero urbis Ninive, aliarumque Assyriae urbium ita vestigia omnia evanuerant ut ne earum quidem situs certo agnosceretur. Aetate vero nostra haec omnia inventa et explorata sunt, Ninive et Babilon aliaeque urbes iterum in lucem emerserunt, suaque monumenta, palatia, turres, templa oculis conspicienda praebuerunt, suamque historiam tum infinitis sculptis imaginibus, tum innumeris inscriptionibus, quas *cuneiformes* vocant, narrare coeperunt, qua S. Scripturae veritas confirmatur, eiusque narrationes, allusiones, imagines, phrases mirifice illustrantur. Primus qui gloriam in hac palaestra adeptus est fuit Paulus Em. Botta Italus (Caroli historici filius), sed Gallici gubernii servitio addictus, et consul Mossuli in Assyria. Is igitur primum solum tentavit in loco dicto Koyundiik e regione Mossul in altera ripa (sinistra) Tigris, sed haud magno successu, hinc relicto Koyundiik alium locum explorandum suscepit magis ad septentrionem prope pagum dictum Khorsabad, ibique post multos exantlatos labores et gravissima superata obstacula tandem pervenit ad detegendum immensum palatium regis Sargon (Sar-Kin) forte Sennacherib, coaevi Ezechiae regis Iuda. Inferior ordo cubiculorum adhuc integra permanebant, scilicet sex aulae amplissimae quarum parietes ab imo ad summum innumeris ectypis et sculpturis cooperti erant cum plurimis inscriptionibus cuneiformibus, praeter alias inscriptiones insculptas tauris marmoreis ad portam palatii adhuc stantibus, lateribus pavimenti, et laminis metallicis inter palatii fundamenta abditis. In sculpturis conspiciebantur pugnae, venationes, ritus sacri cum innumeris figuris variis vestibus ornatis. Haec Botta eiusque socii quam cito fieri potuit delinearunt et characteres cuneiformes quoad licuit excripserunt ne

perirent; cum enim palatium illud incendio vastatum fuisset lapides calcarei facile in pulverem resolvebantur ad aeris contactum. Interim haec ex Oriente in Galliam missa, et paulo post (1849) vulgata totius Europae attentionem ad se converterunt; et Angli quidem laudabili sane consilio statim proposuerunt ampliores explorationes in tumulo praesertim contra Mossul ubi suspicabantur esse situm Ninive. Explorationes alacriter prosequuti sunt multi docti viri, imprimis A. H. Layard, H. Rawlinson, Ormuzd Rassam indigena, sed Anglorum consul Mossulensis, Lord Loftus, Vict. Place, et G. Smith nuper e vivis ereptus, quorum labores brevi annorum spatio tam ingentes ediderunt fructus ut expectationem omnem superaverint. Hinc apparuit situm Ninive, ac eius veluti sepulchrum, esse immensum illum terrae tumulum quod contra Mossul erigitur et ad multa milliaria protenditur a septemtrione versus meridiem a *Koyundiik,* usque *Nebiyunu.* Ibi duo inter cetera maioris momenti palatia detecta sunt alterum regis Sennacherib, alterum Assarhaddon eius successoris, utrumque deinceps completum et ornatum ab Assurbanipal, qui priori palatio ingentem bibliothecam addiderat, ut ex inscriptionibus apparuit. Inventio huius bibliothecae praecipuam epocham signat in fastis Archaeologiae Assyriacae; exinde enim linguae et scripturae Assyriacae studia quae huc usque lento et incerto gradu incesserant, ingens lumen, et incrementum acceperunt. Tota bibliotheca laterculis fictilibus constabat ex utraque parte inscriptis charactere cuneiformi, et ordine dispositis circa parietes aulae maximae palatii: creditur ad 10,000 laterculos ibi collectos fuisse. Continebant autem gesta regis Assarhaddonis (ut in aliis palatiis gesta eorum fundatoris), insuper tractatus philosophicos, theologicos, medicos, scripta de moribus et vita Assyriorum, alias historias poemata, demum grammaticas, et syllabaria ad usum ipsorum Assyriorum ad legendam scripturam archaicam, et monumenta alterius linguae antiquioris et tunc fortasse iam mortuae quoque multae inscriptiones adhuc superstites exaratae sunt.

Alia quoque monumenta invenerunt laudati exploratores tum in situ Ninive, tum inter reliquias aliarum Assyriae urbium Chalah *(Nimroud)* El-Assur *(Chalah Scergat)* et alibi, magnaque exinde copia extracta est tum cimeliorum, tum inscriptionum, quas inter specialem mentionem merentur longa inscriptio regis *Assunasir-*

habal (a. C. 882–857) reperta in eius palatio, et alia regis Teglatphalasar I quater repetita in quatuor prismatibus sepultis inter fundamenta magni templi Assur iuxta Assyriorum morem. Pretiosae istae exuviae vetusti imperii Assyriorum in Angliam asportatae praecipuum thesaurum efficiunt Musaei Britannici. Sex amplissimae aulae vix eis capiendis sufficiunt: sculpturae integras parietes contegunt, in medio innumera obiecta cuiusvis generis, statuae, obelisci ac stelae, prismata, urnae funerariae, vasa, utensilia domestica, arma etc. hinc inde abaci crystallis occlusi conspiciendas exhibent inscriptiones cuneiformes, quarum tamen longe maior copia (Bibliotheca Assurbanipal) iacet in centum et amplius capsis, quae amplissimam supellectilem doctorum hominum studiis et investigationibus suppeditant.

Interim vero Gallici exploratores labori ac expensis non pepercerunt ut et ipsi vetusta monumenta in lucem revocarent, praecipue vero inferiorem Mesopotamiae regionem ab hodierna Bagdad usque ad sinum Persicum explorandam susceperunt, nec sine successu. Praecipuae Chaldaeorum urbes *Eridu, Arach, Chalanne (?) Ur* Abrahami patria, *Larsam, Nipur, Sepharvaim* (Sipphara) imprimis vero celeberrima *Babylon*, super utraque ripa Euphratis sita et in immensum porrecta, recognitae fuerunt, et multa earum monumenta, turres, palatia, templa, sepulchra in lucem prolata sunt, una cum innumeris inscriptionibus aetatum longe dissitarum a primis Chaldaeorum regibus (2,000 et amplius annis ante Christum) usque ad epocham Alexandri M. et Seleucidarum (1).

(1) Inscriptiones cuneiformes quamvis vulgo assyriacae appellari soleant, non in sola tamen Assyria proprie dicta reperiuntur, sed passim et in magna copia occurrunt in tota valle Euphratis et Tigris a montibus Armeniae usque ad sinum Persicum. Tantus est earum numerus ut si omnes describerentur ingentem voluminum bibliothecam efficerent. Multae ex his a viris doctis vel lithographiae vel etiam typographiae ope expressae, vulgatae fuerunt ex. gr. a Botta, Layard, Oppert, Ménant, imprimis vero a doctis Anglis Musaei Britannici administratoribus (*Trustees*) quorum cura in lucem eduntur inscriptiones in eodem Musaeo collectae: quatuor voluminа in folio iam prodierunt curantibus Rawlinson, Norris, et G. Smith (an. 1861, 1866, 1870, 1875). Praeterea anglica versio selectarum inscriptionum tum cuneiformium tum aliarum orientalium identidem prodit parvis voluminibus comprehensa sub titulo: *Records of the past*, quorum plura iam lucem aspexerunt.

Haec omnia sive Assyriae propriae dictae, sive Babyloniae monumenta accurate et docte descripta videri possunt in pluribus operibus quae eruditi viri superius laudati in vulgus ediderunt. Praecipua haec sunt. P. E. Botta: *Le Monument de Ninive découvert et décrit par P. E. Botta, mésuré, et dessiné par E. Flandin, publié aux frais de l'Etat.* 5 Voll. folio, 4 de planches, et un de texte Paris 1849; I. Oppert: *Rapport adressé à S. E. M. le Ministre de l'Instruction publique, et des Cultes*, insertum in *Annales de Philosophie Chrétienne* An. 1856; M. Layard: *Discoveries on the site of Ninive during 1873, and 1874.* London 1873; Cavaniol: *Les monuments en Chaldée, en Assyrie, et à Babylone 1870;* V. Place: *Ninive, et l'Assyrie*, Paris. I. Ménant: *Babylone, et la Chaldée*, Paris 1875, idem: *Annales des Roi d'Assyrie 1874* G. Smith: *Assyrian discoveries.* London 1875: multa quoque reperies in Asiatica ephemeride tum Gallica *(Journal Asiatique)* tum Anglica *(Journal of the Royal Asiatic Society)* sparsim. Quibus accedunt plura opera grammatica, et lexicalia de scriptura, et lingua inscriptionum cuneiformium, quae inferius laudabimus.

Nunc itaque pauca de inscriptionibus cuneiformibus, earumque lectione. Inscriptiones istae, ut supra innuimus, tam multae supersunt ut si omnes colligerentur ingentem voluminum copiam efficerent. Dicuntur autem *cuneiformes* ob figuram signorum quibus exaratae sunt, quae *cuneorum* similitudinem praeseferunt (1): isti parvi cunei vario modo collocati (sive orizontales, sive verticales, sive obliqui), et inter se aliter atque aliter compositi omnes characteres scripturae huius efformant. Convenit nunc inter Assyriologos hanc non esse primitivam scripturam Assyriorum et Chaldaeorum, sed ex alia antiquiore paulatim derivatam. Scilicet prima

(1) Possent etiam comparari clavo, vel ferro sagittae, unde a nonnullis dicta fuit haec scriptura *claviformis*, vel *sagittiformis* (Anglice *arrow-headed*): verum appellatio *cuneiformis* nunc in communi usu recepta est. Praedicta signorum forma originem habet ex materia super quam inscriptiones induci solebant, et ex forma styli quo incidebantur. Non enim in membranis vel charta gentes illae scribere solebant pennicillo, vel calamo, sed in lateculis ex argilla confectis cum adhuc mollis esset characteres insculpebant stylo quodam triangulari, cuius ictus pro simplici linea cuneiformia signa efficiebant. Plures ex his stylis scriptoriis inter ruinas Babylonis et Ninive reperti fuerunt.

scriptura fuit *ideographica*, seu integras figuras obiectorum, sive realium sive symbolicorum exhibens ad ideas repraesentandas, ut adhuc videre est in quibusdam paucis monumentis: deinde coeperunt tantum summae quaedam lineae pro integris figuris depingi, et ita orta est simplicior scriptura, quae *hieratica* dicta est, ut etiam in scriptura aegyptiaca factum vidimus, et in Sinensium quoque scriptura accidisse creditur; antiquiora quaedam monumenta Babilonica hoc alterum stadium scripturae exhibent. Demum ex hac hieratica scriptura formata fuit tertia, quae proprie *cuneiformis* dicitur, eaque rursus decursu temporis simplicior effecta est, unde in *archaicam* et *recentiorem* distinguitur, et demum pro usibus civilibus et domesticis *cursiva* quaedam scriptura formata fuit quae in monumentis nusquam apparet, sed in laterculis fictilibus satis communis est (1). Rursus scriptura cuneiformis proprie dicta in varias species dividitur pro vario modo quo elementa illa cuneiformia inter se componuntur et rebus vel vocibus significandis coaptantur, seu pro diverso, uti aiunt, systemate scripturae, ita ut sub nomine scripturae cuneiformis, si proprie loqui velimus, non una eademque, sed plures diversae scripturae comprehendantur, quae inter se non conveniunt nisi in ultimis elementis scriptionis, quae sunt signa illa cunei formam praeseferentia. Neque hoc mirum est: siquidem ratio illa scribendi a vetustis Chaldaeis, ut creditur, primum inducta, sensim sine sensu ad alias gentes ingenio, ac lingua longe diversas propagata est, quarum unaquaeque illam suae linguae accommodavit. Inscriptiones itaque cuneiformes varias linguas diversarum etiam stirpium repraesentant, Persicam in Perside, Medam in inscriptionibus Persepolitanis, Armenicam veterem in Armenia, Babylonicam et Assyriacam in monumentis circa Euphratem et Tigrim repertis; imo saepe una eademque inscriptio in plures columnas divisa diversa idiomata sistit, ac diversa scribendi systemata, ut fit imprimis in inscriptionibus trilinguibus Persepolitanis, in quibus diversitas scripturae ex attenta signorum inspectione satis innotescit, et a viris doctis observata fuit (C. Niehbur a. 1765) antequam vel unum signum ex iis legere potuissent. Facile enim

(1) V. Oppert: *Rapport adressé à S. E. M. le ministre de l'Instruction publique* etc. (*Annales de Philosophie Chrétienne 1856* pag. 172 seq.).

intelligitur scripturam primae columnae paucis characteribus totam constare, alterius columnae plurium characterum copiam continere, tertiae demum columnae scripturam innumeris fere diversis signis oneratam, ideoque implicatissimam esse.

Haec quae cursim innuimus satis sunt ut unusquisque percipere possit quam difficile opus esset huius scripturae clavim reperire post viginti fere saecula, ex quo in desuetudinem, et oblivionem abierat. Hinc factum est ut plerique id unquam fieri posse desperarent, alii opus tentaverint sed absque fructu, denique ii qui ad veram cuneiformium inscriptionum interpretationem aliquid contulerunt nonnisi plurium annorum labore, admodum lento gradu, et per multas aberrationes rem ad exitum perducere potuerint. Ad scopum nostrum non pertinet plenam historiam harum investigationum pertexere (1): sed sufficiat pauca innuere. Inscriptiones Persepolitanae, quarum nonnullae inde a saeculo XVII notae erant eruditis ex itineratorum descriptionibus (2), ante ceteras examini subiectae fuerunt. Prima tentamina C. Niebuhr (1765), Tychsen (1798), Münter (1800) nullum exitum habuerunt, sed tantum viam sternere coeperunt verae interpretationi earumdem inscriptionum. Interim observatum est easdem inscriptiones generatim in tres columnas divisas exhibere tres diversas scripturas, et probabilius continere unam eamdemque inscriptionem repetitam in tribus praecipuis linguis, quae vigebant in regno Achemenidarum, a quibus inscriptiones illae prodierant. Iuxta hanc coniecturam, quae deinceps veritati conformis inventa est, singulae scripturae seorsim considerari coeperunt, et imprimis scriptura primae columnae tum aliarum, tum praesertim magnae inscriptionis Behistun (3) a Dario

(1) Hanc historiam accurate, et copiose narrant prae ceteris J. Ménant: *Les écritures cuneiformes. Exposé des travaux, qui ont préparé la lecture, et l'interprétation des inscriptions de la Perse, et de l'Assyrie* 2ᵉᵉ édition Paris 1864. A. Scholz: *Die Keilschrift Urkunden, und die Genesis.* Würzburg 1877. Fr. Kaulen: *Assyrien und Babylonien nach den neuesten entdeckungen.* Coloniae 1877.

(2) Nonnullas exscripserat Petrus della Valle a. 1621, alias addiderat Chardin a. 1674, alias Kämpfen, et C. Van Bruyn: sed hi ne unum quidem verbum legere potuerant.

(3) Haec inscriptio, quae in historia Archaeologiae Assyriacae celeberrima est, reperitur in rupe calcarea sub monte Behistun in regione Kourdistan:

filio Hystaspis positae ad suas victorias celebrandas, quae ibidem insculptae cernuntur. Initium fieri debuit, ut patet, a nominibus propriis regum Achemenidarum quae omnibus nota erant, quaeque difficile non fuit recognoscere inter signa cuneiformia. Grotefend a. 1802 per ingeniosas, et subtiles comparationes pervenit ad legenda duo nomina regum, nempe *Darius* (Darayavus) et *Xerses* (Khsayarsa) in duabus parvis inscriptionibus, atque ita valorem quorumdam signorum determinare coepit, et ostendit scripturam textus Persepolitani esse generatim *alphabethicam*, ut olim Niebuhr suspicatus fuerat ex paucitate signorum quibus constat. Non potuit tamen ultra progredi. Post multos annos Eug. Burnouf (Paris 1836) alias inscriptiones expendens, ubi nomina propria occurrebant, plura alia signa invenit, quibus alia addidit Lassen (Bonn 1836) ita ut hi fere integrum alphabethum cuneiforme Persepolitanum restituerint, atque ita inscriptiones vetusta Persica lingua exaratas legere ac interpretari coeperint: quod etiam paulo post praestiterunt independenter ab invicem Hincks Dublini 1840, et Oppert Parisiis 1847 (1).

Inventa clavi primae scripturae, ad secundam et tertiam quae in aliis columnis inscriptionum Persepolis reperiuntur interpretandas studia sua contulerunt eruditi viri. Ope nominum propriorum, quae in prima columna legebantur tandem perventum est ad secundam scripturam legendam quae, ut supra innuimus, continebat versionem Scythicam seu Medicam textus Persici: praecipua laus huius inventi debetur doctis viris Westergaard (1844), Hincks (1846), Oppert (1850), et Norris, qui a. 1853 vulgavit interpretationem et commentarium integrae inscriptionis Behistun (quoad textum

in latere rupis cernitur ingens sculptura sistens regem Darium pedibus calcantem hostem prostratum, et coram eo novem alios reges manus et colla devinctos: infra, et circa legitur longa inscriptio cuneiformis (400 lineis) per columnas divisa. Prima columna continet textum Persicum seu *Persepolitanum*, altera columna versionem eiusdem alia scriptura, aliaque lingua (Norris vocavit *Scyticam*, Oppert *Medicam*, Sayce *Aelamiticam*), tertia columna continet versionem *Assyriacam*, ea scilicet scriptura eademque lingua quae in tot aliis monumentis Assyriae et Babyloniae recurrit, quaeque proinde longe gravioris momenti est ceteris duabus scripturis, simul tamen multo difficilior.

(1) J. Oppert a. 1851 et 1852 vulgavit in *Journal Asiatique* versionem, et commentarium omnium inscriptionum Persicarum, quae huc usque innotuerant.

secundae columnae) postquam accuratum eius exemplar a Rawlinson descriptum et ab Oriente in Angliam missum fuisset. Haec altera scriptura syllabica est. Ceterum huius scripturae ac linguae monumenta pauca sunt, nec tanti momenti.

Adhuc remanebat interpretanda *tertia scriptura*, quae maioris pretii est, quam duae priores; non enim solum in monumentis Persepolitanis occurrit (in tertia columna) sed in aliis innumeris tum monumentis proprie dictis, tum laterculis coctilibus, et totam Assyriacae et Babylonicae literaturae suppellectilem complectitur: agebatur, scilicet de scriptura cuneiformi proprie Assyriaca, et Babylonica. Ad huius scripturae interpretationem sine dubio viam stravit interpretatio primae vel alterius scripturae, sed novae difficultates hic occurrebant ex multitudine et ambiguitate signorum, quae eius inventionem diu retardarunt. His tamen minime deterriti docti viri qui se se his investigationibus devoverant, pertinaci labore, et multorum collatis studiis tandem pervenerunt ad hanc quoque scripturam legendam. Inexpectatum auxilium et maxime opportunum contulerunt laterculi bibliothecae Assurbanipal, in quibus, ut supra innuimus, plura extant syllabaria, lexica, aliaque id genus elementaria opera ad usum ipsorum Assyriorum, quibus scriptura Assyriaca tam varia et intricata iam difficultatem praeseferebat. Cum autem multi eruditi de inventa clavi inscriptionum cuneiformium adhuc dubitarent, et de novis interpretationibus cum diffidentia, aut etiam cum contemptu loquerentur, nonnulla experimenta ab Assyriologis exhibita fuerunt ad fidem suis inventis conciliandam. Ita a. 1857 quatuor docti viri Hinks (Dublini), Talbot et Rawlinson (Londini), Oppert (Parisiis) paratos se ostenderunt ad unam eamdemque inscriptionem seorsim legendam et interpretandam, ut ex singulorum versionum consensu veritas methodi probaretur. Data est singulis, cura Societatis Asiaticae Londinensis, inscriptio Teglatpalasar I lithographice expressa: post mensem singuli suam versionem private miserunt ad praedictam Societatem, quae in solemni sessione (Die 25 Maii) coadunata, apertis schedis, perlectisque versionibus, invenit eas, ad substantiam quod attinet, convenire (1). Saepe etiam factum est ut nomina propria, vel integrae

(1) Paulo post vulgatae fuerunt hae quatuor versiones in *Journal of the Royal Asiatic Society* to. XVIII, part. I, a. 1860.

inscriptiones in cuneiformibus ab Assyriologis perlectae deinceps inventae fuerint in alia scriptura et lingua notiore, quae praecedentis interpretationis veritatem confirmavit; atque ita tandem factum est ut omnibus persuaderetur clavim scripturae cuneiformis vere inventam fuisse: quamvis non omnes difficultates et obscuritates adhuc removeri potuerint. Grammaticae etiam linguae Assyriacae vulgatae sunt, in quibus tum lectio scripturae cuneiformis, tum lingua in iis expressa secundum certa principia et accuratam methodum explicatur (1). Systema scripturae cuneiformis Assyriacae (2) ad haec revocari potest: 1) scriptura generatim *syllabica* est: pauca signa ideogrammatica; 2) alia signa pro syllabis *simplicibus* (una voc. et una conson.), alia pro syllabis compositis (voc. cum plur. conson.); 3) syllabarum simplicium signa fere sex sunt pro singulis consonantibus prout hae componuntur vel ante vel post tres vocales Assyriacas a, i, u, sic: *ba, ab, bi, ib, bu, ub, ga, ag, gi, ig, gu, ug* etc.; 4) syllabae compositae duobus modis scribi possunt, vel per specialia signa singulis syllabis respondentia, vel eas resolvendo in duas syllabas simplices, repetita scilicet vocali: ita duae syllabae vocis *napsat* (anima) exprimi possunt vel duobus propriis signis, vel syllabis resolutis in quatuor *na* + *ap* + *sa* + *at*. Numerus signorum syllabicorum ingens est; 5) plura signa variis syllabis respondere possunt ideoque *polyphona* vocantur: ambiguitas inde orta est una ex maximis difficultatibus in lectione inscriptionum; 6) extant quaedam signa quae legenda non sunt, sed tantum ad ideam determinandam apponuntur, et *determinativa* vocantur (ut in hieroglyphicis): ita cuneus verticalis nomini praefixum si-

(1) Praecipuae ex his sunt sequentes: J. Oppert: *Grammaire Assyrienne* 2ᵉᵉ ed. Paris 1867; J. Ménant: *Le syllabaire Assyrien*. Paris 1869–72; eiusdem: *Laçons d'épigraphie Assyrienne*. Paris 1874; E. Schrader: *Die Assyrisch–Babylonischen Keilinschriften*. Leipzig 1872; Sayce: *Assyrian grammar*. London 1872. Pro cuneiformibus vero non Semiticis videri possunt: Norris: *Memoir on the Scythic version of the Behistoun inscription* (in *Journal of the Royal Asiatic Society* vol. XV, part. I). Lenormant: *Etudes accadiens*, Paris 1872.

(2) Desumpsimus haec fere ex Cl. Maspero *Histoire ancienne des peuples de l'Orient*. Ed. 3 Paris 1878 Chap. XV. *Les écritures du monde Oriental*, ubi etiam reperies syllabarium Assyriacum propriis signis expressum pag. 574-582, et specimen lectionis cum interpretatione pag. 583 seq.

gnificat illud esse nomen humanum; tres cunei aculeis coniuncti (fere ad modum stellae) indicant vocem sequentem esse nomen regionis et ita porro; 7) demum quaedam signa phonetica non sunt, sed vera *ideogrammata*.

Haec satis sint de novis inventis in Palestina, Aegypto et Assyria, quibus tum historia, tum archaeologia Biblica magnopere adiuvari atque illustrari possunt (1) atque inter eius fontes merito numerantur.

IV. Ad partitionem tractationis quod attinet, sequemur consuetam divisionem in antiquitates sacras, civiles, et domesticas, praemissa tamen brevi expositione geographiae et chronologiae biblicae. Erunt igitur quatuor tractationis partes, seu Sectiones I De *Geographia* et *Chronologia* biblica; II De biblicis antiquitatibus *sacris;* III De antiquitatibus *politicis;* IV De antiquitatibus *domesticis* in quantum S. Scripturae interpretandae inservire possunt.

SECTIO I.

DE GEOGRAPHIA ET CHRONOLOGIA BIBLICA

Vere aiebat Varro geographiam, et chronologiam habendas esse veluti duos historiae oculos, sine quibus scilicet rerum praeteritarum narratio nec recte intelligi, nec probe aestimari potest. Idipsum de archaeologia dicendum est: nam sine accurata regionum ac locorum notitia, et sine exacta temporum divisione vetusta monumenta quasi muta iacerent, nec ad historiam illustrandam utiliter adhiberi possent. De biblica igitur Archaeologia dicturi oportet ut pauca praemittamus de *Biblica Geographia*, quae quasi theatrum eventuum in Scripturis narratorum sub oculos ponit, et de

(1) Ceterum non defuerunt docti viri, qui notitias iam comparatas in hunc usum converterent: inter hos laudari possunt saepius memorati Maspero, Chabas, Rawlinson, Robiou pro historia populorum Orientalium in genere, in specie vero pro historia et Archaeologia biblica F. Vigouroux Presb. S. Sulpitii in insigni opere cui titulus: *La Bible, et les découvertes modernes en Palestine, en Égypte et en Assyrie* etc. 3 Voll. 2ᵉᵉ edit. Paris 1879 in quo opere (ut doctus criticus Allemannus animadvertit) nihil lectori desiderandum relinquitur nisi eius continuatio: siquidem auctor non ultra libros Regum et aetatem Salomonis progressus erat. Nuper tamen (1884) quartum volumen editum votis omnium satisfecit.